

tus wusste, wann Syrus Bischof war, ist nicht klar. Eine Legende des 8. Jahrhunderts machte ihn zum Schüler des Hermagoras, seinerseits Schüler des Apostels Markus, im 1. Jahrhundert³⁰. Nach der modernen Forschung hat er im 4. Jahrhundert gewirkt. Pascasius schrieb erst in der ersten Hälfte des 9. Jahrhunderts. Sein Hostienwunder spiegelt theologische Anliegen dieser Zeit. Pascasius hat die Lehre von der realen Verwandlung (*in veritate*) der Hostie in wahres Fleisch und des

sacram eucharistiam de manu pontificis percipientium ad manus uiri Dei perueniens ausu nefario, immundo ore corpus suscepit Dominicum quod ut reiciendi os operuit, digna ultione percussus sine effectu uerborum, cunctis audientibus et uidentibus clamare coepit. Volebat labia iungere nec ualebat. Cupiebat uerba edere, sed lingua rigida loquendi officium non praebebat et quasi ignitum iaculum in ore portans immensis torquebatur doloribus. Resonabat omnis illa ecclesia ineptae uocis clamoribus et de tam egregii uirtute miraculi Christi fidelium laetabatur conuentus impleturque illud: Derisores ipse deridet et quod apostolus ad Galatas scribens ait: Nolite errare, Deus non irridetur. Quae enim seminaverit homo, haec et metet. Illud quoque quod in Euangelio ipsa Veritas promittit dicens: Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Iudeus ergo hic incredulus nec audierat nec legerat ista praeconia Scripturarum qui putavit Christo Sanctoque Spiritui stropham inducere. Quem uir Dei suo conspectui praesentari praecepit atque aduenienti dixit: Incredula et perfidiae mens plena, quare tam iniqui hostis implesti consilium, ut aestimares corpus Christi uilissimum? Ecce quod clandestinus persuasor te miserum illexit ut faceres, cunctis fidelibus suis diuina uirtus ostendit. Iudeus autem nimio dolore superatus uoces emittere absque sermonibus non cessabat habens in gutture malitiae suae cruciatum, quia secundum sanctissimi uaticinium Symeonis sicut incredulis est perniciēs ac ruina, ita fidelibus suis uita et exaltatio est Verbum Dei. Nam subtiliter aspicientibus miserabili libratione corpus Dominicum in ore uidebatur Iudei dependere, ita ut nec linguae subter compagi insideret nec desuper immundo adhaereret palato. Postulantibus autem cunctis fidelibus pro eius miseria, uir Domini Syrus manum propriam tetendit et sanctae eucharistiae misterium a sacrilego abstraxit ore dicens: ecce nunc, incredule, liberatus es, de cetero caue huiusmodi simile ne facias et ne ulterius repetere, haec praesumas, ne deterius tibi aliquid simile contingat. Iudeus ergo pedibus eius aduolutus, se Christo Domino crediturum, si sacri eum baptismatis unda perfunderet ac pio eius conuentui eum copularet. Confitebatur quoque qua intentione Dominicum corpus percipere temere praesumpsisset. Prioris etiam culpam incredulitatis ac deinceps uerae fidei firmitatem se habiturum. Tibi, – inquit beatus pontifex Syrus – Deus omnipotens Pater refero gratias, qui iudaicam etiam perfidiam non dedignaris corrigere, sed ad tui Vnigeniti fidem ampla pietate illam conuerteris. Baptizato autem illo, multi etiam ex Iudeis in Christum credentes cum eo sacro sunt renati baptisate ac Christi fidelibus spiritalique coetui sunt uniti. Hanc autem ultionem cunctis diuinitus ostensam huic nostro opusculo ideo inseruimus, ne quis infidelis antequam corpus Domini diiudicet quid sit, aut mortali crimine reus, priusquam Christo per penitentiam se ipsum probans in pace reconcilietur, de hoc pane edere et de calice bibere temere ac negligenter praesumat. Haec pro assertione sacrae communionis dicta sufficiant, nunc ad propositum redeamus.

30) Nicholas EVERETT, The Earliest recension of the Life of S. Sirus of Pavia (Vat. lat. 5771), in: StM 43 (2002) S. 857–957.